

Z a
1707

X 204 4034

BONA VERBA
dicta
NUPTIIS
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Excellentissimi,

DN. SEBASTIANI Beer /
Norici, J. U. D. & Confiliarii

Saxo-Altenburgici Magnifici,

&

VIRGINIS

Nobilis & omnigenae Virtutis corona ornatisimae,

ELISABETHÆ SOPHIÆ
GERSTENBERGERIÆ,

in Drackendorff / Schwerstedt

& Leutenthal:

Celebratis JENÆ

Pridiē Cal. Octobr.

CICIDC XL.

1918 P 147

Literis Steinmannianis.







I.
ALTENBURGICA.



*Uis precibus VOBIS, SPONSI, quis prodevo
votis*

*inter tantorum tot bona vota virum?
Ducite concordem longum feliciter avum
& fœdet vestram nulla querelatorum:*

*RAPH AEL excubitor vestro velit esse cubili,
& fugiet subito quag, Megera procul,
Angelico quisquis rectus munimine vivit
ipsi etiam cura creditur esse Deo.
En, quantum potui VOBIS optare bonorum
tantillis? pondus sub brevitate latet.*

VOTUM NUPTIALITIUM
Quod

*Pro felici blando ac fecundo connubio,
Viri Nobilis Clarissimi ac Consultissimi
Dn. Sebastiani Beer / J.U.D. Consilarii Saxon.*

*cum
Nobili & castissima Virgine
Elisabetha Sophia Gerstenbergia in Drackendorff,
Schverstedt & Leutenthal
vovit*

*Heinricus Gebhardi (nuncupatus aliâs) VVesenerus J.U.D.
CANCELLARIUS ALTENBURGO - SAXONICUS
in Sôlmenitz.*

*C*onjugio vestro vis dicam carmina? felix
quod D E u s esse velit! dulcis Collega, precabor:
A 2 Inse-



*Infelix nihil est hoc auspice, crede : negabit
quis nunc me paucis bona multa & magna precatū?*

*Ipsa mandatae ad Comitata Imperii Ra-
tisbonae indicta abitionis procinctu
scrib.*

*Wolff Cunrath von
Thunbshirn.*

Quod Virgo ad nomen duri non horreat Urfi,
Mirum est, & plusquam Virginitatis opus.
Nam quis naturam & feritatem animalis in ipso
Horrescens primo non fugit intuitu ?
Sed nec fata tibi hoc nomen Neonymphe dederunt,
Nec cadit in mores effera vita tuos.
Hinc fidens tua Virgo Urfum non horret, ad Urfi
Nomen virgineo flectitur ingenio.
Et tibi se, fidei q³ tua vult credere totam.
Quid poterat votis gratius esse tuis ?
Tu modo sis illi, quod Nautis assolet Arctus,
Et tua Virgo tibi, quod lapis Indus, erit.

Caspar Facius.

Ipsa DEUS statuit, quod sola miserrima Vita
& sine conjugio non bene vivat Homo
Ergo felices censemus, pectora quorum
una fides unit, jungit & unus amor.
Vivite concordēs, ut vivere longa queatis
tempora, nec lectus tristitia damna notet.
Succedant vobis ex votis cuncta, salutis
gaudiaque aeternae percipite precor.

V.

Aegidius Hunnius D.

Quoniam votorum SPONSOS circumstrepit imber!
Phœbum sollicitat quisq³ Poeta suum:
festa Camœnales surgunt in carmina Diva.
Ingenii macies quid serat ergo mei?

De

De medicâ PHYSICUM voti farragine summam
sumere conveniet sufficietq; reor:

Sint vires vegetæ, sint nati, sintque nepotes.

Non scateat morbis funeribusve domus:
absint estrices, vitæ adversaria, curæ,
& placidum pulset nulla querela torum.

Ingressum medici, quo nulla molestior At
creditur & nulla est imperiosa magis,
defendat VOBIS Superum indemensa potestas.
Conjugii cursus sic benedictus erit.

FLORIDIS. SPONSIS

πλὴν τῆτον ἔριον, καὶ μήποτε δεύτερον
serio, MORE MAJORUM, adprecatur

Thomas Reinesius, D. Poljater
Altenburgicus.

TOrvi privatis Ursi venatio numne,
Doctorum Juris magna est discussio causæ,
Competat? ex animo, jam dextrè, dilue causam,
Virgo tenella ferocem dum compescuit Ursam,
SPONSE: nova est res, fœmineis manibus superari
Ursam, namque Viri est inter spelæa Ferarum
Versari, densi Dominoque offerre Foresti
Vivas. Hoc rectè factum dum SPONSA capessit
Ursam vivacem, lecto jungit domitumque.
Hæc Pacem referent lecti socialia jura,
Atque ferent Ursos, Ursas, ratione venustas.
Plaudite Musæ, plaudite Fauni, plaudite cuncti,
Plaudat Apollo, canat cœli chorus omnis amœnè!

Ita Excellentissimo Jcto, Dn. Sebastiano
Beero, Amico & Affini suo honorando,
ludens adplaudabat & gratulabatur
Altenburgi

Georgius Henricus
Springsfeldt, J.C.

A 3 Ap-



Approperas merito tædas, Venerabilis URSE,
Belliger huc usq; est sat remoratus eas.
Quos inter gemitus, quæve inter somnia noctes
Duxisti? quoties es meditat'us Hymen?
Sæpè retardatus sed sic exarsit in ignes
Maiores, nunquam & Semisopitus amor.
Non tibi Dipsas anus magicos inflavit amores,
Nec te cogit ad hos virus amanti equæ;
Fato ductus amas, Deus hos animavit amores,
Æqualiq; tibi junxit amore parem.
Hoc fatale jugum ex voto primordia ducat,
Sat benè procedat, nil habeatq; mali.
Semper abundet Eros, nec Eris sua jurgia spargat,
Natorum exhilaret vos glomerata seges.
Par hoc non Ate pungat, Concordia jungat,
Sint juga grata volo, sint rata vota, precor.

Hæc Nobilissimo atq; Excellentissimo
Dn. Sponso gratulabundus accinere
voluit

Wolfgangus Ulricus Amthor/
Phil. & Med. D.

Præmia Virtutis, Virtutis amantibus æquè
Dantur; Virtutem præmia multa decent.
Hinc non immeritò BEERUS decoratur honore,
DOCTORIS munus CONSILIIQUE capit.
Insuper atque Uxor castissima blandula cedit,
Virtutis donum, quod DEUS ipse dedit.
Gratulor inde Tibi BEERI clarissime SPONSE
Conjugium felix, prospera quæq; precor.

adjiciebat
M. Heinrich Grauel/Præfectus
Aldenburgensis.

Exoptata dies oritur, Clarissime Sponse,
Quæ thalamum scandit Sponsa decoratum.

Hæc

Hec munus Jove est, casti qui fundus amoris,
 Perpetuo & nexu pectora bina ligat.
 Auspiciis Sponsam faustis hanc suscipe, Jene
 Omnipotens nuptum quam tibi ritè locat.
 I felix salvusq; redi ductore Jehovah:
 Te comitabuntur vota precesq; mee.

M. Jacobus Freiesleben,
 Archidiac. Altenburg.

Nunc perfectus homo, SEBASTIANE,
 Ne tu sanè mihi judicaris. Ecce,
 causas nomino: prænitescis artus
 firmi corporis: æqua denegavit
 nil Fortuna tibi; scientiamque
 calles plenius Utriusque Juris:
 ex qua factus es, atque constitutus
 aulae Consiliarius. Marita
 tantùm defuit hætenus: sed isthæc
 accedit modò, dirigente JOHAN,
 prudens, ELISABETH-SOPHIA, virgo.

Concordes precorambo victitetis:
 ambo longiùs exigatis ævum
 sanis corporibusque mentibusque,
 curis absque laboribusque duris;
 & sexus numeretis utriusque
 optatam sobolem, nepotulosque;
 his junctique beatiora tandem
 cœli possideatis ambo regna!

Bis denis voveo quod his Phaleucis

M. Josephus Clauderus, Sen.
 Eccles. Altenburg. Diac.

Primâ fronte omnes vel solo Nomine Nymphas,
 SPONSE, aliàs timidas terrificare queas.
 Nam mage quid timidum est URSA frendente, tenellas
 Quæ rapit & raptas perdere tentat oves?
 Inprimis URSAM poterat Te SPONSA timere,
 Matris, quæ AGNA tremens unica & una sue.

Sed



*Sed formidandus videaris Nomine quamvis,
Corda ferinam intra nil tamen usq; foves.*

*
D. Seba-
stianus
Beer.
nat' à-
va H.
EST UR-
SA BI-
DENS:
BEA.

*URSA vocere licet cognomine, Re * tamen URSA
ES blanda; ingeniô, moribus, ore BIDENS.
Blandus es inde Viris: didicisse fideliter artes
Molliit heic mores, nec sinit esse ferum.
Blandus & es castis & amabilis inde Puellis,
A Te gavisâ est e quibus una capi.
Blanditæ Agnâ tuâ SOPHIA ELISABETHA - tenella
Capta est, hanc blandis cultibus usq; BEA.
URSAM ne timeat noctu Te Sponsa diuve,
Tuta Tibi adsideat sed sociata diu!
Sit securâ quies vobis, sit pastio sana,
Grex saliat vestrô pumilus inq; torô.
Sic ovibus similes ambos vitâq; fideque
In mundô, excipiat grator! ovile Poli.*

*Submissæ gratulationis
ergo appof.*

*M. Michael Crellius, Eccle-
siastes Altenb.*

EN Tibi flos Themidos, nostri splendorq; DUCATUS
A Domino Conjux casta, benigna datur.
GERSTENBERGIA CO præclaro stemmate nata,
Hanc meruit pietas, hanc cole, posce, fove.
Hæc tua Sponsa tuæ sit pars lætissima vitæ,
Commoda multa ferat, gaudia mille paret.
Cum vestro thalamo redeat PAX aurea, vestro
Ex thalamo vigeant pignora multa pio.
Plura dabo, quando resonat vox ædibus illa,
URSOS ac URSA S attulit ille torus.

Ex singulari observantiâ

*M. Philippo Bernick / Super-
int. Ronnenburgensi.*

2. JE.



II.

JENENSIA.

Quid melius potero Vobis hac luce precari,
 qua corda æternum mutuis unit Amor?
 Quam lis nulla torum ut quatiat, neq; jurgia mensam,
 ulla nec attingat noxa propinqua Lares:
 Æmula sed certet generosis vitibus uxor,
 Punicaq; exequet semina prole Pater.
 Ut pupescabant nostro plantaria in horto:
 Sic crescat vestro stemmate clara domus;
 Diminuatq; Patri, jucundo murmure, curas
 Pusio, qui matris lusitet ante pedes.

Paulus Marquartus Slegel,
 Phil. M. D. & p. t. Rector.

Mos fuit antiquis primo servatus ab ævo
 Ut Sponsis ferrent vota secunda pii:
 Plausibus atque hymnis hortus resonabat Edenus,
 Auctus ubi primus compare staret homo.
 Vellet ut Abramidæ Bethueli adnubere nata
 Omnes agnati vota precesque dabant.
 Hos imitatus ego tibi Sebastiane paranti
 Cum Gerstbergiacâ fœdera sacra thori.
 Quid melius dederò, quam verba precantia? fœlix
 Sit tibi connubium, sit sine lite thorus.
 Sponsa stude mores aviæ revocare paternæ
 Quæ regere eximiâ noverat ante domum.
 Sponse vide stringas soceri vestigia Magni
 Qui Fidei & Pacis jungere norat opus
 Sic benè cuncta cadent, sic crescet gloria cælo
 Pax terris, vobis stabit amica salus.

Johan Major D.

Pluribus ipse Tibi numeris, Clarissime Sponse,
 Gratuler thalami fœdera sacra novi,

B

Ni

Ni calanum manibus diversa negotia verum
Excuterent, animum distraberentq; meum.
Gratulor, & vestras ut amabilis unio mentes
Vinciat opto: nihil praterca; hoc satis est.

h. m. q; gratulab. f.

Joh. Himmel D.

Allusio ad nomen Sponsæ.

Elisa-
beth,
Dei re-
quies.

ELISABETH SOPHIE GERSTENBERGERIA posthac
Ornabit thalamum, splendide Sponse, tuum.
Hæc tibi sit *requies* blandissima: stamina vitæ

Sophia, Ducere propitio Numine ut usque queas.

Sapiëntia. Ut que domus columen tibi sit, *Sapiëntia* mentem

Pro. 14, 1 Impleat! hæc nôrunt edificare domum!

Joh. 6, 9, 12 *Hordeæ* qui populi esurie benedixit & auxit,

Augeat in thalamo commoda mille tuo.

Pf. 68, 16 *Mons* Domini magnusque feraxque. In monte polorum hoc

Pfal. 15, 1 Denique sit vobis certa parata quies!

Observantia & pietas ergo f.

Salomon Glassius D.

ERgo dies venit, sese laudata Virago
Nexibus adstringit quæ, Neonymphe, tuis?

Concludisq; tuas isthuc traducere flammæ,
quod delenda animo nunquam Adamata tuo est?

Jamq; verecundæ committis fœdera dextræ,
fœdera, quæ Superi non violanda velint.

Sit, maneatq; Tibi semper dilecta virago,

seu Te vita brevis, seu diuturna manet.

Et quæ aliter possit; quæ casta, pia, atq; modesta,

Virgineiq; gregis cætera dona tenet?

Erasmus Ungepaar D.

SAlve, Sponse, tuâ ter felix conjuge! salve,

Sponsa, celebrati Germinis orta satum!

Fortunati ambo! quos concors copula vincit,

Atque animos necesse non periturus amor.

Cu-

Custodes thalami maneant dona aurea Pacis,
 Et cingant mensam Gratia, firma Fides.
 Oscula jungat Amor Fidei; Concordia Pacem
 Implicet, atq; omnes Gratia plena liget.
 Conjugio semper tali vivatis, Abramus
 Quali olim vixit Saraque amata viro.

*Fausta acclamationis ergo
 amico candido atq; veteri
 LMQ. scribeb.*

Zacharias Brüeschentz/D. & in
 Academ. Jenens. Antecessor.

Qui primus fibris hominam substravit amorem,
 Inq; unâ jussit vivere carne duos:
 Ille etiam vestrum posthac fortunet amorem,
 atq; ambos jubeat vivere sorte bona!
 Nil intret thalamum, nisi júbila, gaudia, lusus,
 atq; absint vestra tristia quæq; domo!

In honorem Nobilissimi & Amplif-
 simi Dn. Sponsi, sui olim Collegæ
 honoratissimi

bonæ scævæ ergo deproperabat
 Godfried Fiebig D. & P. P.

Dum Tibi conjugium video Sponsamq; paratam,
 tædasque accendi numine ab Idalio;
 Sic mecum voveo: RATA SINT VOTA OMNIA SPONSI,
 quicquid & in voto Sponsa venusta cupit.
 Ut strictæ jungunt hederæ sua brachia nexu,
 sic vos æterno fœdere jungat Amor.

SPONSO

*Consiliario Saxonico observandissimo, fautori ma-
 gno, matrimonium apprecatur felix & fœcundum
 VVernerus Rolfinck, Phil. Med. Doctor & Profess.
 Publ.*

B 2

Cen-

CEntenas alii Veneres, totidemq³, Hymeneos,
Junonesq³, simul, in sua vota vocent,
qui bona verba ferunt, Vir Consultissime, t'adis,
accendit tibi quas conjugialis amor.

Ethnica, me pietas prohibet Christiana, precatu
numina pro thalamo sollicitare tuo.

Qui casti princeps, unus Deus, auctor amoris,
& solus confers quæ-bona-cunq³, toro,

Teq³, Tuamq³, tegat, regat, & foveat, benè junctos,
sive fors dextra juvet, sive sinistra tonet,
vitâ longævâ, & concordii pectoris igne
ac dulci prolis fertilitate beet !

faustæ acclamat. ergo
deproperab.

Philippus Horst/Brunsvigas,
P. P. Facult. Philos. Se-
nior & p t. Decanus.

BAccheas effundit opes autumnus, & ornat
Vario botrorum palmites discrimine.
Una Tibi ante alias, Vir præclarissime, cunctas
Placet uva, mitis uva, nata nobilis
Vineti; cui non ausit certare Falerna,
Nec Formiana vitis, aut Calibus fata
Succo hanc turgentem geniali, subjice prelo,
Anni vel istoc admonente tempore.
Mensibus exactis ter ternis, mustea proles
Te plurimis inebriabit gaudiis.

Gratulabund. f.

Daniel Stahlius.

DRackendorfiaco dum fortè Puellula saltu
flores candidulo pollice sola legit;
Beèrius errat ibi, videt, explet corda tuendo,
nec potis est solito longiùs ire gradu.

Hoc



Hoc advertit Eros, & nervo spicula torquet,
 & celer ad Salæ littera versus ait:
 An quos unanimes potuit conjungere saltus,
 unanimi junctos non datur esse toro?
 Audiit, ac alto respondit gurgite Sala.
 Connubio jungi, ne dubita, stabili.
 Dignus uterq; Tori qui tali lege jugentur,
 ac ea, qui nectat vincula, dignus Hymen.
 Crescite felices, nostriq; in littoris orâ
 Drackendorfiacæ linquite fulcra domus.

Gratulabundus scrib.
 Paulus Slevogtius P. P.

Conjuge sic dignus Conjux! sic gaudet uterq;
 alternis pariter dotibus, atq; suis.
 Amborum spectem casto si pectore mores;
 dotibus est Sponsus Sponsaq; clara suis.
 O digno conjuncta Viro, thalamoq; decenti!
 omniaq; ô avibus foedera pacta bonis!
 Sic venit Abramidæ lecto socianda jugali,
 à patrio cedens, casta Rebecca, solo.
 Sic quoq; Penelope, quo tempore nupsit Ulyssi,
 Dulichium, famâ fertur, adisse torum.
 Qui, Deus, est casti Promotor & Autor amoris,
 & solida sociat pectora juncta fide;
 Perpetuis animi jungat Vos nexibus ambos,
 & beet aternis corda pudica bonis.

Gratul. F.
 Joh. Mich. Dilherrus P. P.

Obiectum, Tibi quô quondam, Vir Magne, fruisci
 Jena dedit, culti viribus ingenii,
 Pulchra Themis fuit; hæc, Cytheréide pulchrior ipsâ,
 Te captum tenuit; capta ea amore prius.
 Hæc Te ad conspicui culmen promovit Honoris,
 Hæc Te Principibus consociatq; Viris.

B 3 Alte-



*Alterum at objectum, quò Te beat inclita Jena,
Altera pars animi quò potiatur, adest
Pulchra Venus, celebri de stemmate nata Virago,
Ellogium castæ virginitatis habens.
Gratulor objectum prænobile, grator utrumq;
Et voveo, ut faveat Tì Themis atq; Venus.
Quod superest, Tibi quod objectum adamabile visus,
Subjectum, noctu mox Tibi Amoris erit.*

*Observantiæ contestandæ, & boni
ominis apprecandi ergò f.*

*Johannes Zeifold,
Phys. Prof. Publ.*

Epigramma Gamicum:

*J*ura sinunt: lex est: vim vi cohibere superbam,
Quam struit in multis desidiosa VENUS.
Quid foret hic Mundus præter spaciøsa latronum
Lustra; THEMIS nì sit docta corona Viris?
Quid foret hic mundus præter speciosa juventæ
Lustra; Venus JOVA nì moderante, juvet.
En! Themis, atq; Vénus Jovâ moderante, juvabunt,
Conjugium ut felix sit maneatq; diu.
Magnanimè certas, juvat ire ad nobile bellum,
Ad vitam bellum; sit procul omnis ^{egressus}

*Quod conjugibus votivè offere
ἐν τῷ παλαιῷ ἀμικο
suo favorabili & antiquo
L. M₃.*

*Casp. Anthor Medicinarum
Licentiatus.*

*A*d Pleissæ saltus Venus alma: Cupido: Diana
concordes veniunt Juno: Themisq; vagos.
Dum venaturæ resonantiæ cornua constant,
ipsarum in medium profilit ursus amans.

Hunc

Hunc Veneris nutu niētuq; Cupido sagittā
 vulnerat. Hinc sociis praeda petita cadit.
 Urſi ſed miſeret Themidem auream: aditq; Dianam,
 Urſo Diſtamnum monſtret ut ipſa, petens.
 Annuit, & fugiat, dixit, miſer Urſus ad Hordei
 excelfos montes. Hōc viret herba ſolō.
 Huic Urſo comitem Juno ſe pronuba jungit.
 Urſus Diſtamnum percipit, atq; valet.
 Urſo gratantur Venus alma: Cupido: Diana:
 Diſtamnum à Sponſa Juno; Themisq; datum;
 atq; Urſo catulos ſalientes Hordei in altis
 montibus optatos pectore & ore vovens

Honoris ergò miſit

M. Adrian Beier Glauchâ-
 Oſterlandus Eccleſ. Jen.
 Diaconus.

יהוה נסי

S P O N S E Decus, fidusq; ſacrarum nobile Legum!
 S P O N S E jubar Charitum fauſto Te fidere natum
 Prædico, Te dico re terq; quaterq; Beatum!
 O Decus & mihi præſidium celeberrime D O C T O R!
 O Decus & fidus Vir conſultiffime rerum!
 O Decus & mihi præſidium doctiffime S P O N S E!
 E L I S A B E T H - S O P H I A digniffime S P O N S E,
 Gerſtenbergiaco magno quæ ſtemmate nata
 eſt pietatis apex, eſt virginitatis & Alpha.
 Eximiâ S P O N S A M formâ, ſis, cerne tenellam.
 Undiq; ſœminei Sexûs en laude coruſcat.
 Ingenii dotes, formæ præſtantia, opesq;
 Sunt verè Docto Bona Te digniffima S P O N S O.
 Hinc dico mox felici Te fidere natum.
 E L I S A B E T H - S O P H I A & Tali digniffima S P O N S O es,
 Nobilitant dotes magnæ quem mentis & artis;

Impi-

Impiger à teneris discens feliciter arteis
 juraq; Sacrarum Legum veneranda, Gradumq;
 insignis nactus DOCTORIS jure peritus
 SAXONIÆ DUCIS EXCELSI CELSISSIMA doctis
 PECTORA consiliis animat, fleclitq;, movetq;:
 Et populum magnâ cum dexteritate gubernat;
 Conficit & fausto commissa negotia fine.
 Dulce Decus magnam celebri fert nomine famam.
 Hoc, dico, ELISABETH - SOPHIA es dignissima SPONSO,
 Req; probo SPONSAM fausto Te sidere natam.
 SPONSA ferum SPONSI metuas non nomen at URSI,
 Est URSUS, non re; tantum sed nomine dictus.
 Nomen deme manet tibi nil nisi pectus apertum;
 Sitq; ferum nomen mens non tamen effera SPONSI.
 Candidus est talos supremo vertice ad imos.
 Est niveus totus cunctâ feritate relictâ;
 Nilq; mali hîc, durivè superciliivè timendum.
 Gratulor hinc thalami quia gaudia læta parâstis.
 JOVA juva precor, & quæ mente calente precabor:
 VITA, SALUS, SOBOLES, PROLES, MORS, GLORIA, TELLUS,
 Longa, serena, pia & proba, sera, perennis, abundans
 Sit, maneat, crescat, veniat, vigeat, redeatq;.
 Utq; sient calido rata vota fluentia corde,
 Annuat æternùm Celsi Regnator olympi
 JOVA, cui semper pia sunt connubia curæ.

יְהוָה נִסִּי Exod. 17. v. 15.

Fausta ac debita congrat. E. l. m. p.

JESUS JEHOVAH NISSI Cruore Proprio Lustratus.
 Johannes Jonas Northuso - Cheruscus
 Pastor Lobedanarum.

SPonte meâ numeros, PAR NOBILE, mitto precantes;
 VOS nequeo voto præterisse sacro.
 Introeat thalamum concordia mutua VESTRUM,
 Crescant divitiæ, partus honorq; simul.

Corpo-

Corporibus sanis prolem videatis amœnam,
Et prolis prolem cernite. Fiat! Amen.

Observantiæ debitæ ergo
fundebat

Johannes Reinhardi
Pastor in Drackendorff.

Succresce foetu non - numerabili,
JOVA inquiebat, surgere glebulâ
cùm jussum Adamum arente, vitæ
nobilitati animaret aurâ.
Hinc hæc amoris blanda necessitas,
qua bina nunquam - dissociabili
devincta nexu corcla, dedunt
se socio, atq; toro, atq; vitæ-
Scis illud SPONSE; nec modò scis, sed &
ostendis exempli specie Tui,
dum Virginis unius ignem
ignibus omnibus anteponis.
Scit SPONSA svavis; nec modò scit, sed &
confirmat exempli indiciò sui,
dum gaudet uno TE, Tuiq;
unius arbitriò adquiescit.
Hæc illa miris TE Tibi subripit
virtutibus; nec hinc tamen & Tuos
repellit amplexus, amoris
indomiti Tua corda flammis
urens. Amantum ô biga, ter, & quater
felix, & ultrà! Hac sorte fruamini,
faustoq; Tædas atq; divûm
atq; hominum celebrate plausu!
Ut Vitis, Ulmo juncta, vel annuis
ditat colonos frugibus: annuos

G - sic

S.
IS
-
0-



hic ferre fructus; pumilillam
ferre gregemq; nepotulorum!

Ita,
declamanda observant. ergo,
MÆCENATI meo
adclamabam

M. Jacobus Clauderus, Altenb.

Εἴ ἄγε εἰδοζον, φίλον ἄτορ, ἀνύμνεε νύμφον,
Ἐἴ αὖτοιο κλέος μελπέτω, ὅσ' ἐν ἐμοῖο
Ἦτορ ἀνύμνε' ἐμοῖ νύμφον κέρην γαμέοντα,
Ἡ αὖτ' ἔμνη ὄμμασ' ἀρέσκει ἀπὸ
Νύμφη ἐστὶ κόρη ἐρθεῖσα καλή τε, ὁμοίη
μορφὴν ἠδὲ φυὴν ἀθανάτησι θεῆς.
Ὡς φάος ἡελίος εἰν ἀστεροέντι ὀλύμπῳ
σίλβει, ὡς λάμπει νύμφιος εἰνὶ χθονί.
Ὅκ ἐν ἐμοῖ νύμφοιο κλέος το φαεινὸν αἰεῖδεν
Γᾶον ἀραθμήσω ἀστρὰ φαεινὰ πόλι.
Ὅκ ἐν ἐμοῖ νύμφης μορφὴν τε φυὴν τε βοῆσαι
Ῥᾶον ἀραθμήσω τὴν ψάμαθον πελάγῃ.
τοῖνον συγχαίρω σοι, ἄνερ κλυτὲ, ἡμερόεσσα
Ὅτι δέχη κέρην σήμερον ἠδὲ καλήν.
ἐκ κραδίης καὶ ὄλης σοι συγχαίρω, χαριέεσα
Νύμφη, ὅτι ἔχεις νύμφιον εὐδόκιμον.
Χάρματα πολλὰ, θεός, νύμφοις καὶ ἀληκτὰ πορίζῃ
δῶρα ὁμοφροσύνης, δῶρα φιλοφροσύνης.
Ἄϊεν ἔεις θαλάμῳ νύμφων κακὸς χαρῆος ἀπέσω
Ἄλλὰ παρέτω αἰεὶ πιστὸς ἔρωσ θαλάμῳ.
Ὡ θεός, εὐλογέεις θαλάμον, ἵνα χάρματα νύμφοις
τέκνα φέρωσι. τειᾶς τῷ κἀθέναυε λόγῳ.

Johannes Georgius Saur Salfeldā
Thuringus Alumnus Gerstenbeag.

Lumine Phœbe fave, radiisq; benignius orbem
Lustra: Auster cessa! atq; aura Favoni ὀδες!

Hujus

Hujus ut evadat majus solenne diei,
 Quem sibi sacratum Dīq; Deæq; volunt.
 Magnum namq; Virum; prælustri sanguine natum;
 (Et qui Smyrnæo carmine dignus erat)
 Quem quoq; consiliis clarum; virtute potentem
 Multiplici Pallas deperit atq; Themis;
 It Venus Alma suis donis & honoribus auctum,
 Dicens: Hic meus est, huic mea dona fero.
 Officiis Hymenæus adest, Sponsumq; salutans
 Fert tædas. Thalamus; cuncta parata forent.
 Sponsus ovat; Veneris veniunt cui munera magna;
 Flosq; PUELLARUM præcipuumq; decus;
 Virgo, mente Sais, formâ Venus, indole Juno,
 Et quod summa rei est, OPTIMA NATA Patris
 Nobilis, & quondam famâ super æthera noti,
 Quem Res creptum - publica, - priva dolet:
 Cujus consiliis Illustris floruit Aula
 Principis, Aōnidūm perstitit atq; decus.
 Hoc adeò pietate gravi sata Virgo Parente
 Cum tanto pangit connubiale Viro:
 Quem penes & nostri spes est sita magna Lycæi,
 GERSTENBERGIACUS quò revirescit honos.
 Istius auspiciū Lucis solenne jugalis
 Prosequier votis omnibus usq; juvat.
 Intendas Chelyn ergò tuam nunc dexter Apollo,
 Et facili plectro carmina docta refer.
 Tuq; novenarum, celebris cantu, ordo sororum
 Concentu hunc svavi condecorato diem.
 Sic decet: unanimes præclarum dicite carmen:
 Tibia, cumq; tubâ cymbala, nabra sonent.
 Et Tu, summe DEUS, qui connubialia primus
 Fœdera sanxisti, quæ benedicta foves;
 Des facilem precibus, Tibi quas modò fundimus, aurem:
 Illas atq; ratum pondus habere sinas:
 Effice perpetuo concordia corda favore
 Amborum jungat, juncta favore regat.

C 2

Nec

Nec lis, nec mala res interpolet ulla quietem?
Dulcem conjugii: sint mala quæq; procul.
Nestoreos annos da prolis copiâ ut aucti
Vivant: quàm petimus da bona plura DEUS!

*In debitæ observantiæ animiq; grati
symbolum offereb. JENÆ*

Daniel Majus Gorlicio. Lusatus.
Gerstenberg. Beneficiarius.

O Reades Musæ nostræ nunc sortis agemus
que sunt, monticolas tibi a parta juvet.

Ursos non metuat posthac aut Nympha leones,
nec timeat Satyros musica nostra feros:

Grandia nam blandis ambit conatibus Ursus
hordea, queis aliàs nota Melissa later,

Montis & ascendit propius fastigia, Nymphæ
devinctusq; thori fœdere sceptrâ capit.

Sic tulit Elisabetha suum domuitq; Sophia,
robore Nobilitas inclita cujus erat.

Scilicet hunc meruit virtus tua, Sponsa, maritum,
Augustusq; decet nobile stemma Sator.

Annuat ergo Deus tedi thalamumq; secundet!

Hordea digna thoro mons bene culte feras!

*In debitæ observ.
testamen f.*

Basilius Chemnitius
Froburgo - Misn.

A Ccipiter metuit laqueos, & milvius hamum:

Qui thalamum metuat, rarus at ille fuit.

Nam mare quot pisces, habet & quot Tibris arenas,

E thalamo totidem commoda sæpè fluunt.

Pectora si curis finduntur, murmure blando

Consors pellit eas, tristitiamq; fugat.

Omnia non possum parvo comprehendere versu

Fœcundus thalamus quæ bona ferre solet.

Hoc:

Hoc votis addo reliquis, tot commoda vobis
Hic thalamus det, quot grana papaver habet.

*Ita de felicitate thalami debite
observantia ergo gratulabatur*

**Donatus Wolffardt/ Tröbnensis
Thur. Gerstenberg. Alumnus.**

CArmina decantent alii modulamine dulci,
Ingeniis quorum Cantor Apollo favet.
Addere vota mihi liceat, Celeberrime Sponse,
Pondus ut illa habeant, supplice voce precor!
Vive D. J. U. vitam, vivat tibi Sponsa pudica,
Ipsi tu vivas, vivat & ipsa Tibi.
Absit Eris turpis, casti contraria amoris,
Adsit Eros, clara prole replete thorum!

Magnifico & Nobilissimo Dn. Sponso
omnibus observantia studii prose-
quendo f.

Andreas Alberti, Schlöbensis.

Dulce decus Themidos, Musarum Cultor & Altor,
Quam Jovæ ductu multis e millibus unam
Eligis ornatam Sponsam Virtutibus altis
Legitimoque jugas nexu jam forte favente:
Gratulor ex calido depromens pectore votum:
Tempora per vitæ fiant prosperrima cuncta;
Adsit amor placidus cum fructu, lis mala cedat,
Ædibus à vestris abeant fera fata, trisæcles
Ambo quò possint annos attingere salvi.
Hæc precor, hæc voveo, quæcunque fovenda supersunt
Impleat illa Deus cœli, terræque Dynasta,

**Joan Bartholomæus Hoffman,
Budstadio Thuringus, Ger-
stenberg. Alumnus.**

C 3 III. JE.





III.
NORICA.

Alma Trias vestris aspireret numine tædis,
Pax sancta, una fides, vos liget unus amor,
Germina gnatorum vestram ornent, instar olivæ
Fructiferæ, mensam, dona benigna Dei.
Quot picti Siculâ flores nascuntur in Hyblâ,
Annos in vestro totque videte toro!

*Ita Neonymphis ὀλοψύχως
accineb.*

Christophorus Althofer,
SS. Theol. D. & p. t. Uni-
vers. Altorf Rector.

Πρῶτ' ὅς εἶπε γάμον γλυκύπικρον, ἀληθὲς εἶπεν,
Ὅσα γ' εἶχε, γάμῳ, ῥήματι εἶπεν ἐνὶ.
Ἐς πότε χαρμολύται γ' τοῖσι γάμοισιν ἔπονται.
Ἐς πότε εἰσι, βαρεῖς εἰνὶ γάμοισι γόοι.
Πολλάκι συμβαίνει ἔτως. Δυσφημία ἔρρε!
βέλτερό οἰωνὸς τοῖσδε γάμῳσι φάνη,
Νυμφίῳ ἡμερόεις καὶ Νύμφῃ ἡμερόεσσα
οὐδὲν λυπηρὸν κ' ἔδεν ἔχασσι πικρὸν.
Νυμφίε καὶ Νύμφῃ ὑμῖν ἐν εὐχομ' ἅπαντα
Ἠδέα. Ἐκ θαλάσσης πικρὰ δ' ἅπαντα φύγοι!

Altdorphio mittebat

Georgius König/ SS. Theo-
logiæ D. & P.

ue



UT nusquam proprio (docet experientia) gaudet
 Voto homo, nos supra rem gerit ipse DEUS!
 Consilio noster fueras, ô amice SEBASTE,
 At tibi longè alias indicet ILLE vias.
 O te felicem, qui fata trabentia pronus
 Insequeris, nec te detinet ulla mora!
 O te felicem, cui fors hæc contigit, ut sis
 Nobilis officio, nobili atq; toro!
 Nempè, Dicen inter socias est, Cypridaq; almam
 Neutra deest neutri, par utriusq; labor.
 Ut tibi favit Honos, Virtutis in æde locato,
 Sic te ducit Amor virginis in thalamum.
 Virgini at cuius? Nolo amplius esse disertus,
 Fortunet tædas JOVA, SEBASTE, tuas!

Deproperabam

Casp. Hoffman, Med. D. & PP. Fa-
 cultatis suæ Senior, & p. t. De-
 canus.

QUod felix, faustumque tibi sit & utile, BEËRI;
 Quod fastum & felix sit quoque, ELISA, tibi,
 Fœdere Conjugii jungendos sistit ad aram
 Vos DEUS & casto destinat ipse thoro.
 Invideat, quicumque volet; vos floridi amore,
 Fortunisque omnem vincite ô invidiam!

Sic precor ex animo
 Noriberge

Johannes Saubertus, Ec-
 clesiæ ad Div. Sebaldi Pa-
 stor.

Vix poterit quisquam celsâ percurrere puppè
 Æquor, nî rectè sidera clara notet.
 Et multis unum duntaxat SPONSA venusta
 Seligit, ut tuto remige sulcet aquas.

Vix

Castor equo, Pollux cestu, Perseus harpe
Illustrés, nil sunt. Scilicet URS A placet.
URSA micans multò quàm cætera sidera cæli
Splendidior, vultus Sole regente suos.
URSA magis præstans, quàm cætera sidera: Nempe
Quum reliquos rutiloducat in axe choros.
Quàm benè! Nam SPONSI Nomen per amabile Clari
Hujus jucundum sideris Omen habet.
O ter Felices! stellantis Rector Olympi
Vos regat & seruet, comprecor ore pio.

M. Cornelius Marci, in tem-
plo Noribergæ Parochiali
ad D. Laurenti Pastor.

PAUCA, URSINE, tuis me poscis carmina tædis,
Pauca etiam mittit, langvida vena tibi:
Vive diu felix, & ames, ut ameris ab illâ,
Quam vitæ sociam fata benigna ferunt.
Utere amore pio, cave murmuret URSUS, & uncet,
Ni fortasse velis, URSULA præstet idem:
Sed si quæ subeunt URSINÆ femina noxæ
Maxima & huic melli subit amaricies;
Jurgia, mærores, tristissima tempora vitæ
Hæc mala (crede mihi) mens satis æqua fugat.

*Amicissimâ manu & mente
scribit & gratulatur*

M. Christophorus Welhammer, Nori-
bergensium Pastor ad Spir. Sanctum.

CLARE VIR, invidiâ rumpantur ut ilia Codro,
Felix conjugio nobiliore nites.
Det DEUS, hanc Nuptam multos concorditer annos
Complexus, videas ordine progeniem!

Honoris testandi causâ, lentâ laborans
tabe, scripsit Norimb. d. 7. Augusti

M. Joachimus Will/ ad B.
Mariæ Pastor ibid.

Fœ-

Foedere perpetuò cum CLARA PUELLA locetur
 VIR PRÆCLARE TIBI; Gratulor ex animo:
 Dulcius humano generi quippe orbe paratur
 Nil, nihil & cordi suavius esse potest,
 Quàm si bina novo castoque ligantur amore
 Corpora, corporibus mutua flamma subest:
 Sed qui fervet amor modò ne deferbeat unquam
 Det DEUS: is vites quin agat usque novas.
 Vivite ceu geminæ tranquillo in amore columbæ,
 Vivite ceu concors turtur amore pari,
 Permiscete pios per mutua basia lusus,
 Seu veniente die, seu fugiente die
 Vivite felices, adsint pia numina! votis
 Autor Conjugii pondus inesse sinat.

Ita voveo

M. Johan. Leonhardus Frisch,
 Noribergæ ad D. Jacobi
 Pastor.

Sebastianus Beer.

Anagrammatismus.

Beatus, bina seres.

Exegetis.

Bina tibi tractanda dedit cum Corpora quondam,
 Cesareum, Themis, & Pontificale simul,
 Naviter Hec versans, doctus scrutator abisti,
 Et legum & canonum: Commoda utrumq; tulit,
 Clarus Doctor in hoc & in illo, laude perenni, es
 Factus, sudore hoc præmia Bina ferens,
 At Venus illudit, miracula nulla subesse
 Monstrans, hæc, Bino ex Corpore, quòd tuleris,
 CORPUS longè aliud tibi jungens usq; Beato,
 Unum hoc, ecce satum præmia plura feret.

D

Nym.]

Nympham molliculam junxit, solamina sunt ne,
 Jam sesso à studii pulvere parta tibi?
 Arbitror; at graphio studiosa ut CORPORA tractat,
 Gens, que sacrata est, Justiniane, tibi,
 Scilicet ut, fugitiva aliàs, sistantur amata
 Lecta semel, pereat nec simul ille labor;
 Cautio sic magna est, tractes pungarvé obelisco,
 Quantum sat fuerit, CORPUS, amate, tuum hoc:
 Ne effugiant thalamos bilares, que optata parasti
 Gaudia, ne desint pignora grata tibi.
 CHRISTE favè ergò, Sponse SERAS, alet ubere FOETUS
 BINOS OCTAVO hinc menseq, Phylli ovans.

Aliud

Anagramma ejusdem nominis:
ABES URSE, ABSTINE!

Quondam liber eras, ast nunc dulcedine mellis,
 Captus es en avidis, ungvibus URSE tuis,
 Nec tibi ut ante favos per libros sugere fas fit,

Prolis innitendum; { nunc, hera clamat, { ABES?
 { nox, { ADEST!
ABSTINE AS libro, Cubitum te Confer, ANIBIS?
 Nè tu, sin alius svavia figat, habe.

Ita jocatur, tædisque nuptialibus ex
 animo congratulatur, Excellen-
 tissimo Dn. Sponso, amico suo de-
 missè despiciendo.

Jacob Brinckman Dr. N.

Splendorem radians ut Luna à Sole receptat:
A te Sponse nitens sic tua Sponsa capit.

Vive

Vive tuam vitam, Sponse, & tua gaudia gaude,
Spes Sponsæ prolis, res tibi prolis erit.

Ita Clariss. Dn. Sponso, Amico suo
in aliquot Academiū notissimo
& edecumato gratulatur LMQ.

Johannes Gabriel Wurffbein/
U. J. D. & Reip. Noriberg.
Advocatus.

Pellit in exilium MARS agmina docta Virorum,
Justitiæq; Patres è statione movet.
Sola VENUS remanens antiquas occupat ades,
officiūq; catâ sedulitate facit.
Sponse, quid est causæ? Fors, quod Venus æqua reposcat
arma, virumq; ; velut belliger iste Deus?
DAVUS adhuc hodiè es, cràs OEDIPUS ecce futurus,
sicubi bella prius dixeris ipse Tue.
Bellula bella puto, sed non, quâ debile corpus
exanimet, verùm saucia membra levent.
Eja, age! Sic vestro bene res succedet agoni,
nec deerunt meritis qui sua dona ferent.

fundeb. NORIBERGÆ,
testandi officii ac boni ominis
ergò

Johan. Georg. Fabricius, D.
Princip. Palat. Comit. Ho-
henl. ac Reipubl. Noriberg.
Medicus.



Sequuntur seriùs missa.

GERSTENBERGIADIS (Cereali munere quondam ;
Nunc tribulis prægnans lappisque Thuringia campos
Quem tulerat : Quem prisca Fides, & nescia fraudis

D 2 In.



Integritas circum pennis volitaverat albis:
 Cujus opem variis Ecclesia jacta procellis
 Senferat; ac magni Magni quem Cæsaris auris
 Fecerat, atque Ducum Imperii, cata pondera rerum
 Mirans, quæ breviter complectebatur Jason
 Alter: vel potius, si non hic sufficit, alter
Bartolus & Baldus:) STIRPS inclyta vivit in orbe,
 Et florescit adhuc, quantumvis turbine pleno
 Martis, & immitis Mortis: Tua litera sic me
 Lætitiâ plenum erudit NOVE SPONSE SEBASTE!
 Illa etenim cujus valido calefactus ab igne es
 ELISABETHA SOPHIA cluet, de stirpe vetusta
 GERSTENBERGIADUM, leve non exemplar honoris
 Virginei, Veneris fax nobilis, uxor itura
 Prorsus in amplexûs, puerisque beata creandis.

O mihi si vires animi, venamque Poesis
 Liberioris aquæ Clario de fonte propinet!
 Hac veniat cursor non me prior ullus arenâ,
 Inter Convivas non me vocalior alter
 Has vestras celebret vivaci carmine tædas.
 Sed quid ego invitâ dicam faciamve Minervâ?
 Musæ destituunt, renuitque vocatus Apollo.
 Martia quin sine fine ædes malefacta fatigant,
 Incertamque agitant per mille negocia mentem.
 Inde peto veniam, si quo decet ore, tuorum
 Non memoro ingentes laudes & fortia facta:
 Si moror ipsa tuæ præconia pangere famæ
 Et Sponsæ, & quo fas id, stamine texere telam.
 Hæc loquor: Est tanto dignissima Sponsa Marito:
 Et tantâ Sponsâ est dignissimus, ajo, Maritus.

Ergo triumphantes viridanti fronte capillos:
 Cingite, ferte polo plausus & ad æthera voces
 Unanimes, laudes vos Magno ferte Jehovæ,
 Talia qui pronus Vobis hæc OTIA fecit.
 Quin etiam ad numerum lætas agitate choréas,
 Nec pedè tellurem resonam pulsate coacto:

Ba

Basia ferte simul: res sunt dulcissima Sponsis:
 Dulcia sola decent: commendant oscula Sponsos.
 Omnia, quæ facitis, sint, prospera, dante JEHOVA.
 Omnia Nestorios Concordia firmet in adnos.
 Crescere vos jubeat, qui crescere jussit Adamum.
 Nobiliore beet thalamumque propagine vestrum;
 Et Nati & Natæ surgant de sanguine vestro
 Crescant, clarescant, florescant, atque virescant!

Elisabeth Sopht / was sicht euch an isunder!
 Was thut man von euch hör'n für ein so seltsam Wunder?
 Wolt ihr euch schmücken nun mit einer Bärenhaut /
 Vnd drinnen prangen her / als eine Edle Braut?
 Habt ihr nicht Lust gehabt / wie ist Cavalliers pflegen /
 Zur gelben Elendshaut / euch eine zuzulegen?
 Die sind ja prav bereit / vnd führen keine Haar:
 Die Bärenhaut ist rauch / vnd nicht gemacht gar.
 Des Bären sein Natur ihr ja fein wissen werdet /
 Bedencket euch erst wol / daß ihr nicht werd gefährdet:
 Er druckt / daher sein Nam Ursus genennet wird:
 Wer tragen so ein Bär / wird habn kein leichte Bürd.
 Starck ist der Bär vnd gros / gar gerne Honig lecket /
 Einer dem andern auch oft grossen Zorn erwecket.
 Wie nun der Bär / also wird freilich seyn die Haut:
 Fürcht ihr dann euch nicht für / O allerschönste Braut!
 Ihr hochgeehrten Gäst / O ohrenzarte Damen /
 Ihr kennt den Bären wol bey seinem rechten Namen:
 Was meynt ihr wol! die Braut sich kleidet in sein Fell /
 Das noch der Gerber nicht gehabt auff seiner Stell.
 Solt nicht ihr zarte Haut die Sobeln vnd Rünrücken /
 Die Schwanenfutter weich / oder dergleichen Stücken /
 Viellieber leiden wolln! Schaffsbels auch geben Hiß
 Im Winter einer Braut, wann nicht auffsteht der Schliß.

O nein/die Braut allhier thut alles besser wissen/
Im Kram hat ihr beliebt/ein Bärenhaut zu begrüßen/
Weil nun durchs blacke Feld herstreicht der kalte Nord/
In Meynung füglich der damit zu kommen fort.
Der Schaffsbelt ist gemein der Bäwrin Katterade/
Wann Hyems sie umbgibt mit frostiger Blocquade/
Künrücken/Sobelart/ auch Schwanenfutter tregt
Die Dam/so wol noch lang sich zu kein Bräutigam legt.
Aber ein Bärenhaut nicht iede darff anrühren/
Man pflegt gar wenig auch in vnser Land zu führen/
In Meissen Wunder ist/wann man ein Bären sieht/
Vnd dann von ihm die Haut zum Kleide zugericht.
O Braut/das Glück hat euch für allen ist berührt/
Daz euch ein solche Haut vom Bär wird offerirt,
Vom Wolff/vom Fuchs vnd Raß ist ganz nicht eingesezt:
Danck hab des Meisters Hand/der sie vor euch so sezt.
Wolts euch vngleichlich falln/thut an die Brust sie drücken/
Sie wird euch sanfftiglich ergeistern vnd erquickten/
Wie Künrücken ist sie von Natur etwas heis/
Dörfft im ersten Anzug wol treiben einen Schweiß.
Was taug ab vnversucht: Man pflegt ja anzuziehen
Ein neues Kleid mit Zwang/vnd sich gar gern bemühen:
Ach thuts/O Braut/tragt lang die Haut gesund vnd frisch/
An ewerm Leib in Fried vnd Frewd zu Bett vnd Tisch.

Der

Der grosse DonnerGott die bittersüße Schmerken
 Der Lieb vor Zeiten auch empfand in seinem Herzen/
 In dem Calisto schön sein grosses Herz besas /
 Daß er Junonis Trew vnd LiebesKost vergas /
 Der wilden Thieren Meng in Wildnüsse der Wäldern
 Eröffnen ihre Brunst in tieffen Thal vnd Feldern /
 Dem Hirsch der Hindin Lust verstärcket die Begierd /
 Daß er der Buhler viel ein Ueberwinder wird /
 Das macht die Lieb / vnd auch das Reich der Potentaten
 Kein Gleichen leiden kan / bald in Zwenstracht gerachten.
 Kein Wunder ist es nun / daß ein Beer Liebe pflegt /
 Zu einer Edlen Dam sein Sinn vnd Frewde tregt /
 Ist doch hier kein Gefahr / daß dieser Beer so herke /
 Vnd mit dem Gatten sein so vnarmherzig scherke /
 Als thut das wilde Thier / das Menschen in sich fast /
 Drückt vnd erwürgt sie durch seine Stärck vnd Last.
 Wer wolt / Herr Bräutigam / dem Lieb vnd Huld vorleuchtet /
 Der Pierinnen Brunn dessen Gehirn befeuchtet /
 Vnd der ein Doctor ist der Rechten vnd Gesetz /
 Sich fürchten / daß er so sein Braut vor Lieb verlesz
 Ja wol die Jungfraw Braut / die Wonne ewrer Sinnen /
 Auch mit dem Wincken kan ewr Herz vnd Lieb gewinnen.
 Einig hat sie in euch ihr Ziel der Lieb gericht /
 An euch ihr gmüht / ohn euch wil sie fort leben nicht.
 Wann sie gleich auch von Gott zur Bärin nun wird werden /
 Den Namen sie doch hoch wird halten stets auff Erden.
 Glück zu dem lieben Paar / die izt zusammen bind
 Des Priesters Hand vnd Gott / die Lieb vnd ihr Klein Kind /

D nein /

Liebt euch/vnd lebet wol/ kein Unglück euch verleze/
Wachset vnd mehret euch/das euch glückselig schäze
Der Christen Schaar/vnd sprech: Das ist ein Edles Paar/
Dem Gott bescher vollauff allzeit/vnd sie bewahr/
Seht an die Höffligkeit der lieblichen Geberden/
Die Augen voller Trew/es wird noch besser werden/
Wann sie den LiebesKauff vollziehen in der Still/
So geb Gott Kinder viel / vnd sonst mein Bundsch erfüll.

C. A. M. L.

F I N I S.

Jon. Za 1707.

QK

Vom

BONA VERBA
dicta
NUPTIIS
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi

DN. SEBASTIA

Norici, J. U. D. & C

Saxo-Altenburgici Mag

&

VIRGINIS

Nobilis & omnigenae Virtutis coron

ELISABETHÆ S

GERSTENBERG

in Drackendorff / Sch

& Leutenthal :

Celebratis JENÆ

Pridiē Cal. Octobr.

CICIDC XL.

1918 9 19 7

Literis Steinman

